



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Ulrichi Hvtteni Equitis Germani Opera Poetica**

**Hutten, Ulrich von**

**[Frankfurt am Main], 1538**

**VD16 H 6395**

C. M. R. Ad Crosvm Rvbianum Epigramma de Nemine.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13027**

## EXCLAMATIO

Stagna caput, certè horrebit tua facta, tuumq;  
Regia Persephones nomen, truculenta ciebis  
Umbra metus, Diti fugient te pessima noctis  
Monstra, tenebrarumq; duces: te intrare uolentem  
Cerberus arcebit, diros ponentq; cerastas  
Eumenides terrore nouo, te portitor undis  
Non uolet ire Charon, neq; enim peioribus umbris  
Iura dedit Minos, leuius Salmonæa plectet  
Supplicium, Tytion leuius iram, Sisyphus urget  
Mobilis saxum, portabunt Belides undas,  
Tantalus esuriem stringet, tot nomina poenæ  
Pars quota facta tuæ? at si uitam intrare receptam  
Per Samij documenta senis tibi Iupiter unquam  
Permittet, pete Germanis longissima si qua est  
Finibus Eois regio, nostriq; recede  
A regione poli, careat te Martia tellus,  
Quæ cum ferret, erat tam tristi obnoxia fato.

## OYTIS, NEMO. VLA

RICHO AB HVTTEN EQVITE

Germano Autore.

C. M. R. AD CROTVM RVBIA

num Epigramma de Nemine.

Omen adest placidum, pateant Rubiane penates,

Claude, uenit Nemo: Nemo, reclude uenit.

Quis nouus ignotis hospes successit ab oris?

OYTIS π ου λ υ τ γ ο τ ω ς dicor Homere tibi.

SUM

PRÆFATIO.

Sum uasfr, & Protheus, struo, destruo, texta retexo,  
Orbica quadratis, candida muto nigris.  
Accedit precio uelut auro lucida gemma,  
Artificis chari nobile quod sit opus.

VLRICHI AB HVTTEN EQ,

Germani, ad Crotum Rubianum in

Neminem, Præfatio.

**A**ccipe igitur hoc tibi nihil Crote, quod toto  
anno scriptum à me conquestus es, idq; in epi-  
stola tua, quodam quasi tragico ploratu uicies repetis  
quasi qui nihil est, ab eo aliquid extorquere liceat. At  
nunc ipsum illud nihil ad te mitto, & ita mitto, ut Ne-  
mine perferente accipias. Qui cum enim rectius Ni-  
hil, quam cum Nemine uersatur, cum nemo nihil scri-  
bat ac faciat? Sed iam nosse uis, unde hoc repente con-  
mentum. Ex peruersa Crote hominum opinione, si-  
mul tua tragica epistola. Nam ut tu nihil à me scribi  
quereris, ita sunt homines, qui si quid scribas, etiã aut  
facias, & illud ipsum, & te autorem nihil dicant. In  
ea tempora incidimus, in id uulgi iudicium succum-  
bimus. Si adhuc quid sibi hoc uelit Nihil, dubitas, pri-  
ora reuolue, ac quædam ut conigerunt, in memori-  
am reuoca. Periculũ fecisti mecum, quid mereantur,  
qui optima studia studiosissimè sectati sunt. Nempe ut  
nihil didicisse, & ipsi homines nihili dicantur propa-  
lam. Qua in re clementiores adhuc iudices expertus  
es, quam ego, qui post tot annorũ meam per Europã  
pereo